



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 93. Fuxensis Fœderatorum copias aggredi, a Rege jussus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XVI.
A.C. 1512. ter eos, Gallosque initum expiraret, & Ludovicus illud innovare percuperet, a suis Amicis nuncium accepit, Florentinos huic consilio graviter oblectari; eoquod Pontificis benevolentia devicti, ac non ita pridem ab anathemate censurisque, quibus ob præstitum Pisanis Conciliaribus favorem irretiti erant, soluti fuissent; insuper nuntiatum erat, quod Papa ad eos velut Sedis Apostolicæ Internuncium misisset Joannem Gozzadinum Cameræ Clericum, qui eos Pontificiæ gratiæ certos redderet, illisque gratularetur, quod Pisanum conciliabulum a sua ditione expulissent. Hunc ipsum Gozzadinum comitabatur Franciscus Guicciardinus Pro-Regis Neapolitani Procurator, quorum uterque Florentinos a prorogando cum Gallis foedere avertere omni ope & opera adlaborabat. Valuit etiam successus, eorum tamen suasu Florentini neutri parti adhærere decernebant.

§. XCIII.

Fuxensis Fœderatorum copias aggredi, a Rege jussus.

Igitur nonnisi Ferrariæ Dux, ac Bentivolii in Gallorum fide persistere; verum hi adversus tam potentes hostes prorsus infirmi armorum focii erant, qui potius ad attenuendas, quam augendas Lud-

Ludovici vires idonei videbantur; quapropter Rex, cum in Foederibus sanc-
 endis opem desperaret, simulque longiori mora sese conjungendi, suaeque consilia excoquendi spacium hostibus suis concedi intelligeret, consultius judicabat, prompto certamine, ex quo cetera penderent, rem dirimere. Unde Gastoni negotium dedit, ut hostem provocaret, ac Papæ, Regisque Catholici copias data quacunque occasione profligaret; hanc in rem Rex novis suppetiis ex Francia missis exercitum suum auxit, qui mille sexcentos lancearios, quinque peditum Germanorum millia, regionum vero subditorum tredecim millia recensabat, cui Ferrariæ Dux cum ducentis cataphractis, validoque tormentorum apparatu proxime accessurus sperabatur. Advenerat quoque Sanseverinas Cardinalis nomine Pisani Concilii legatione functurus; quod officium Cardinalis Medicæus nomine Julii II. in Foederatorum exercitu obibat.

Porro Regis Ludovici mandata Gasto ad nutum exequabatur, ac Brescia profectus, Finarium in Mutinensi ditio-
 ne situm pervenerat, eidemque in Bonniensi tractu ad S. Georgium Ferrariæ Dux sese adjunxit. Foederatorum exercitus numerabat mille nongentos cata-

Hist. Eccles. Tom. XXXII. Y phra-

Sæcul. XV.
A.C. 1512. phractos, ingentem equitum leviter armatorum numerum, peditumque viginti millia; hæ copię haud procul a Foroliviensibus mœniis castra tenebant tam valide munita, ut ea aggredi temerarium esset, præcipue cum illis nunquam excedere decrevissent; Ferdinandus enim disertis verbis jubebat, ne prælii discrimini ultro sese committerent.

§. XCIV.

Prælium a Fœderatis declinatum.

Hujus vero mandati rationem obtendebat Rex Catholicus, quod sinistro forte armorum successu Regem Anglię a fœdere, quod proxime firmaturus esset, avertere haud oporteret; Angli enim, inquietabat ipse, in Occidaniam, atque Aquitanniam irrumpere, atque Ludovici exercitum nova expeditione distrahere tentabunt, quo facto Rex Francię mediam partem copiarum, quibus Gasto præest, revocare, suumque exercitum diminuere compelletur; tum vero facilius Galli opprimi poterunt. Igitur appropinquantibus Gallis, Fœderati ad mœnia Fori-Corneliensis urbis sese receperunt: Gasto autem, ut eos castris suis excedere cogeret, exercitum suum in Romandiolam duxit, finxitque, se inde recta Romam iturum, aut demum ex Marchia Anco-